a) forum domicilii *universale* esse et concurrere cum omnibus aliis, nulla enim est causa ad quam iudex domicilii non sit competens, forum vero delicti, contractus, rei sitae, *particulares* esse.

b) Cum reus pro eadem causa conveniri potest in pluribus foris, optionem actori relinqui.

c) Incepto semel per citationem iudicio in aliquo foro, in eodem esse finiendum, et haberi tunc *praeventionem;* unde *forum praeventionis* dicitur.

Facta semel electione fori et incepto iudicio per citationem, neque reum neque actorem iudicem mutare posse.

553. Denique sunt quidam modi accidentales quibus quis forum sortitur. Huc pertinet forum *prorogationis,* et *connexionis causarum.* Exsurgit prorogatio, quando fit extensio iurisdictionis iudicis, ceteroquin non competentis, ex consensu partium litigantium, quae prorogatio est voluntaria; alia enim est quae fit per *reconventionem,* et dicitur *necessaria* seu *legalis*, de qua inferius redibit sermo. Forum vero ex connexione vel continentia caussarum tunc exsistit quando res controversae ita arcte invicem alligantur ut separationem non patiantur, sed uno eodemque iudicio debeant terminari.

Hi duo postremi recensiti modi dicuntur *accidentales,* et *extraordinarii;* pendent enim ex nonnullis contingentibus caussarum adiunctis. Alia de his confer apud Schmalzgr. l. c. §. VIII.

554. Sicuti ex hactenus dictis de iudicis persona, patet quaenam sint leges, quae ad ipsam pertinent ut rite institui possit iudicium; ita quaedam etiam servanda sunt circa actorem et reum. Itaque

a) quicumque legitimam habent personam standi in iudicio, actor et reus esse possunt. Excluduntur autem muti, surdi, furiosi, nisi per curatorem agant. Item servi, mulieres in causis criminalibus, pupilli et minores absque tutore et curatore, filiusfamilias sine patris consensu, religiosus absque consensu sui praelati. Verum habentur quidam casus excepti, qui a doctoribus singillatim enumerantur. (Schmalzgr. De Iud. tit. 1. nn.23. sqq.) Quod vero spectat ad

excommunicatos, notandum est eos conveniri posse tamquam reos, ita tamen ut per procuratores respondeant; nullatenus vero actores esse posse, nisi agatur de excommunicationis ipsius sententia, vel periculum sit in mora.

b) In iudicio criminali actor, qui peculiari nomine *accusator* dicitur, potest ut iam animadvertimus suppleri vel fama aut indiciis criminis, vel officio iudicis in crimen inquirentis, ut *processu inquisitorio.* Insuper in causa civili, actor et reus non tenentur ipsi se sistere coram iudice, sed uti possunt procuratore; cuius proinde est personam partium gerere et actus iudiciales excipere.

555. Cum ea omnia habeantur requisita, sive in iudice, sive in actore et reo, ut iudicium rite fieri possit, iam ea omnia habentur quae eidem praemittenda sunt, quaeque ideo *praeliminaria* iudicii appellavimus.

TITULUS IV.

De citatione, oblatione libelli et litis contestatione.

(In Decretalibus titt. 3. 5. 6. lib. II.)

556. Iam deveniendum est ad breviter proponendam ecclesiastici iudicii oeconomiam quam diximus triplici stadio contineri, *inchoationis, continuationis, consummationis.* Ad ea, quae unumquodque ex his respiciunt, quantum satis est recensenda, quoad licet insistimus, ad rerum seriem quod attinet, textui Decretalium. Porro ad iudicii inchoationem pertinent *oblatio libelli, citatio, litis contestatio.*

557. Citatio est: *Actus iudicialis quo quis iuris experiendi causa ex iudicis mandato in iudicium vocatur ad certum tempus.* Citatio fieri potest vel ab *homine* vel ab *ipso iure,* cum scilicet lex ipsa tempus determinat quo aliquis se sistere in iudicio debet.

558. Ex definitione data citationis sequitur

a) Citationem fieri debere in territorio; est enim actus iurisdictionis contentiosae de qua valet illud: *Extra ter-*

ritorium ius dicenti impune non paretur. (Cap. 2. de Const. in 6).

b) In citatione exprimi debet nomen iudicis, et siquidem non sit ordinarius, sed delegatus, is debet exhibere authenticas litteras suae delegationis. Hinc si iudex est ordinarius, hoc ipso est competens ratione auctoritatis, et eius incompetentia exinde debet probari ab eo qui vult illum declinare. Secus vero si agatur de iudice delegato; hic enim debet probare suam delegationem, ut reus se sistat, iuxta citationem. Falsum tamen est, quod nonnulli affirmant, reum teneri se sistere, etiamsi incompetentia iudicis sit notoria. Si enim reus ex. gr. citatus ab aliquo iudice, sit omnino notorie exemptus ab illius iurisdictione, uti e. g. *Regularis* quoad *Ordinarium,* non tenetur comparere; si autem ea de re sit dubitatio, tenetur citatus comparere et probare suam exemptionem, ne iudex ulterius progrediatur. Quare nostris hisce temporibus clericus, absque legitima facultate, non potest comparere coram iudice laico, a quo sit citatus.

c) Item in citatione expresse poni debet locus, in quo reus conventus se sistat, itemque dies assignanda quae *feriata* non sit, atque ita *conveniens,* ut pro ea distantia in qua forte reus reperiatur, commode ad iudicium se possit conferre. *(Cap. 28 de Rescript.).*

d) Item exprimi debet nomen tum actoris, tum rei, et causa ipsius citationis factae.

559. Ex diverso modo quo actus hic iudicialis citationis potest compleri, multiplex oritur citationis partitio: prout scilicet est *publica* vel *privata, realis* vel *verbalis, simplex* vel *peremptoria.* Publica fit edicto aut voce praeconis, privata voce vel scripto per cursores: realis per capturam ipsius rei, ut contingit in criminalibus, verbalis vero vel in faciem ipsius rei, vel si absit, in eius domicilio coram domesticis. Simplex statuit dumtaxat tempus comparendi, peremptoria insuper addit, quod si reus non compareat, agetur in ipsum tamquam contumacem.

560. Ex citatione rite facta sequentes habentur effectus:

a) res quae in controversiam vocatur, dicitur affecta *vitio litigiosi,* eaque nec alienari nec innovari potest:

b) prorogatur iudicis iurisdictio:

c) inducitur in iudice citante competentia praeventionis:

d) interrumpitur praescriptio tricenaria vel quadragenaria:

e) inducitur contumacia, quatenus si actor non comparet, reus absolvitur; si vero reus abest, in eum sententia fertur Cf. tit. 14 lib. II. Decr.

561. Citatio de qua modo dictum est, potest esse magis minusve perfecta. In qualibet citatione ea quae substantialia sunt requiruntur, ut scilicet actor contra reum causam iudici proponat, et iudex audito actore citationem contra reum ferat. At vero haec causae propositio aliter fit in causis, quae dicuntur summariae, et facilius expediuntur, aliter vero in iis quae difficiliores sunt et plenum iudicialem processum exigunt. In his enim requiritur ut actor libellum exhibeat iudici, in quo magis accurate intentionem suam manifestet contra reum, atque ideo definitur: *scriptura brevis ordinata et clara, continens intentionem actoris eamque demonstrans iudici et reo.* Libellus in causis civilibus dicitur *conventionalis,* eo enim convenitur reus, in criminalibus *accusatorius.* Post *litem contestatam* non potest amplius mutari libellus: hoc est mutari nequit ratio ipsa intentionis, quae ab actore est proposita; potest tamen emendari, obscura declarando, superflua detrahendo, et ad illustrationem etiam aliquid adiiciendo.

562. Est autem litis contestatio: *iuridica responsio rei conventi contra petitionem actoris.* Ut hoc intelligatur, notandum est reum citatum sive simpliciter sive libelli adiecta oblatione, posse vel ultro fateri illud quod ab actore petitur iure postulari; tum vero lis erit sublata, et actor ius suum obtinet: vel actoris intentionem negare et se paratum exhibere ad sua iura tuenda, et tunc habetur lis contestata. Ex istis actibus nempe citatione, libelli oblatione, litis contestatione, ea omnia habentur quae iudicii legitimam inchoationem constituunt.

563. Ex litis contestatione

a) iudex amplius recusari non potest, nisi nova habeatur causa ex qua possit repelli:

b) iurisdictio perpetuatur nisi id effecerit citatio *(Cap. 19 et seq. de Off. iud del.)*

c) inter partes veluti pactum inducitur, ut neutra possit altera invita ab iudicio discedere.

TITULUS V.

De iureiurando calumniae et mutuis petitionibus.

(In Decretalibus titt. 4. 7. lib. II.)

564. Ut tutius ac facilius procedi possit in iudicio, adhibetur *iuramentum calumniae,* quod definitur: *iuramentum quo partes litigantes iurant, quod in iudicio tam agendo quam excipiendo et defendendo, absque fraude et calumnia versari omniaque bona fide peragere velint;* vel brevius: *religiosa litigantium asseverantia, iudice deferente facta: se causam bona fide suscepisse, et prosecuturos.* Iuramentum calumniae certis circumscripsit normis Iustinianus Imperator *(lib. 2. t. 58. Cod.).* Ita sacramenti religione interposita, partes adiguntur, ut in suis iuribus tuendis nonnisi veritatem ac iustitiam sectentur.

565. Iuramentum calumniae praestari potest vel in ipsa litis contestatione, vel statim post illam vel etiam quocumque tempore quo iudicium perdurat, si prius fuerit omissum; non tamen ante litem rite contestatam.

566. Iuramentum calumniae non ita necessarium est ut sine eo iudicium procedere non possit, at si ab aliqua parte postuletur non potest recusari. Hinc si actor recusat, cadit a lite et reus absolvitur; si vero reus recuset, habetur pro confesso, interveniente tamen iudicis sententia, hanc poenam infligentis.

567. Iuramentum calumniae praestare debent non solum principales personae, scilicet actor et reus, sed etiam

procurator nomine mandantis, si habeat ad id speciale mandatum; quo in casu duplex praestat iuramentum alterum nomine suo, alterum mandantis, eo quod ex utroque capite posset in iudicio contra veritatem et iustitiam peccare. Qui vero agunt nomine alterius generali mandato, uti syndici et oeconomi nomine universitatum, tutores et curatores nomine pupillorum, iurant tantum nomine proprio.

Controvertitur autem an clerici teneantur iuramentum calumniae praestare. Sunt enim doctores qui illud indiscriminatim affirmant, alii vero qui indiscriminatim negant. At rectius ii dicunt, qui tenent clericos praestare posse iuramentum calumniae, si coram iudice ecclesiastico causam suam agant et in propria persona.

568. Est aliud iuramentum quod dicitur *malitiae;* et in eo differt a iuramento calumniae, quod hoc generale sit et totam causam respiciat, illud vero peculiarem aliquam ipsius causae partem, et petitur quando suspicio est, aliquid contra iustitiam et veritatem ab alterutra parte proponi. Hinc iuramentum calumniae simul, iuramentum vero malitiae pluries quovis litis tempore exigi potest.

569. Liquet autem utriusque iuramenti efficaciam maxime pendere ex eiusdem sanctitate communiter recepta et servata; hinc potest quandoque a iudice remitti, si manifestum sit periurii periculum. Illud etiam animadvertendum est, iuramentum calumniae *credulitatis* esse, non *veritatis* seu *scientiae;* quatenus scilicet, ut vere quis iurare possit, sufficit ut sibi conscius non sit, in iis quae profert pro se, aliquid habere tamquam falsum aut iniustum.

570. Ad ea etiam quae ad litis contestationem et ad stadium inchoationis eiusdem pertinent, referri possunt *mutuae petitiones,* quae quandoque adhibentur ad repellendam indirecto modo actionem intentatam. Hinc sicuti actio quae instituitur contra reum per libelli oblationem dicitur *conventio* ite quandoque reus conventus vicissim actorem se constituit: unde *reconventio* exurgit quae nihil aliud est quam *actio contra actorem instituta a reo convento, coram eodem iudice, et durante adhuc iudicio conventionis.* Hoc modo uterque fit simul actor et reus; nam aliquid utraque

pars in iudicio ab altera petit unde nomen oritur mutuae petitionis.

571. Reconventio fieri potest vel ante vel immediate post factam litis contestationem, vel etiam postquam ulterius processum est in actione iudiciaria. Si fiat in ipso litis exordio, h. e. ante vel immediate post litem contestatam, utraque causa aequo gradu procedit, scilicet causa conventionis et reconventionis simul cognosci et una sententia terminari debet. Ratio est quia tunc litis contestatio ex qua veluti statuitur determinata materia controversiae, complexa est ex conventione et reconventione, adeoque una nequit sine altera spectari. Si vero reconventio fiat lite iam contestata post alios actus iudiciales, tunc prius finienda est causa conventionis dein ad causam reconventionis deveniendum est. Sunt qui hanc reconventionem serius propositam *compensationem* appellant.

572. Cum per reconventionem *reus* fiat *actor,* sequitur in eo postulari conditiones quae in quolibet actore iure requirunt. Hinc

a) excommunicatus non potest actorem reconvenire: ratio est quia non potest actoris personam habere:

b) laicus non potest reconvenire clericum coram iudice laico, licet sit tamquam reus coram ipso a clerico vocatus. Ratio est quia clericus ex privilegio fori non potest coram iudice laico in iudicium vocari. Excipiunt tamen si causa sit connexa, vel consuetudine legitima id liceat, et eo etiam in casu iudicis saecularis sententia executioni demandetur a iudice ecclesiastico, adeoque iudex laicus meram habeat notionem:

c) attamen actor reconventus a reo non potest et ipse reum denuo reconvenire, ne lites hoc pacto multiplicentur.

573. Reconventioni locus est regulariter in omnibus causis, etiamsi non sint connexae et fiant per diversas actiones. Excipiuntur tamen

a) causae quae sint exemptae ab iurisdictione iudicis coram quo facta est conventio: sic causa spiritualis non potest per reconventionem induci coram iudice laico:

b) omnes causae, quae dicuntur *executivae,* quae sci-

licet paratam habent executionem et celeritatem iudicii exigunt, uti est causa *debiti iam certi vel confessi, spolii,* etc.

c) *appellationis,* nam iudex appellationis de ea solum cognoscenda iurisdictionem habet;

d) *criminales,* nam reus non potest suam innocentiam probare ex eo quod alter crimen commisit.

Ex his omnibus apparet reconventionem modum esse, ut diximus, repellendi indirecte actionem intentatam, novam aliam actionem instituendo.

TITULUS VI.

De dilationibus, feriis, ordine cognitionum.

(In Decretalibus titt. 8. 9. 10. 11. lib. II.)

574. Absolutis iis quae ad litis inchoationem plus minusve referuntur, iam ad alterum stadium deveniendum est ecclesiastici iudicii, quod in eius *continuatione* versatur. In eo autem, sicuti actoris est probare illud quod contra reum conventum coram iudice proposuit, ita ad reum pertinet intentatam actionem repellere. Id autem uterque exequitur probationibus, quae vel *indirectae* sunt vel *directae.* Sed prius quam de utrisque dicamus, quaedam innuimus, ne rerum tractatio perturbetur, de quibusdam mediis quae iure praescribuntur, ut facilius causa procedat. Huc referenda censemus quae habentur de *dilationibus,* de *feriis,* de *ordine cognitionum, de plus petitionibus.* De singulis brevissime.

575. *Dilatio,* prout hic spectatur, est *iustum temporis intervallum ad aliquem actum iudicialem melius expediendum reo vel actori datum a lege, vel a iudice, vel etiam ex conventione partium.* Ex hac definitione, aptissima sequitur dilationis partitio in *legalem, iudicialem, conventionalem.* Legalis ab ipsa lege conceditur, vel a consuetudine, uti ex. gr. spatium decem dierum ad appellatio-

nem faciendam. Conventionalis ex mutuo partium consensu habetur ad prorogationem causae. Iudicialis stricto sensu, ea est quae ab iudice conceditur ad hoc ut melius causa expediatur. Haec dicitur arbitraria, quia arbitrio iudicis, pro ratione adiunctorum causae, conceditur. Est igitur actus iudicialis et ab iudice qua tali fieri debet. Hinc utraque parte praesente et neutra legitime contradicente, causa cognita, atque ita ut nimia dilationum frequentia (contra quam datur appellatio) lis non protrahatur. Dilationes arbitrariae, iuxta scopum ad quem dantur, sunt vel *citatoriae,* vel *deliberatoriae,* vel *probatoriae,* vel *executoriae.* Etenim vel dantur ut citatus commode comparere possit; vel ut libello proposito reus deliberet, cedere aut contendere malit; vel ut utraque pars sua iura melius persequatur; vel ut reus condemnatus, de iis quae debet satisfaciat; saltem si actio non sit realis aut criminalis: in his enim regulariter executoriae locum non habent. Sunt qui dilationes executivas distinguunt in eas quae dantur ad audiendam iudicis sententiam, et ad eius executionem; et isti distinguunt dilationes, prout dantur a citatione ad litis contestationem, a litis contestatione ad sententiae executionem.

576. Ex dilationibus tamquam effectus consequitur,

a) ut officium iudicis quoad illud, ad quod dilatio data est, conquiescat et quidquid super eo fiat sit invalidum:

b) ut saltem ex iure, si post dilationem, actus ad quem data est non ponatur, censeatur peremptus et ultra procedi possit.

577. *Feriae,* prout ad iudicia spectant, sunt dies quibus iudiciales actiones et actus contentiosae iurisdictionis intermittuntur. Et earum scopus praeter rationem ipsam dierum quibus adscribuntur, est ad iudicia rectius administranda.

578. Feriae aliae sunt *ordinariae,* aliae vero *extraordinariae.* Ordinariae statuta lege quotannis eodem tempore servantur, extraordinariae ex contingenti aliqua causa conceduntur. Aliae sunt *sacrae,* aliae vero *profanae.* Sacrae

sunt eae quae ad dies spectant ad cultum Dei ac Sanctorum specialiter deputatos, uti dies Dominici, atque alii festi in *foro,* hebdomada quae dicitur *sancta* seu *maior,* aeque ac *paschalis.* Profanae quibusdam anni temporibus conceduntur, vel necessarii oblectamenti causa, vel communis utilitatis, ut tempore messis, vindemiae etc. Extraordinariae, ut nomen ipsum ostendit, non communi lege, sed pro re nata conceduntur: sic ob partam victoriam, adventum principis, grassantem pestem etc.

579. Feriae, quae sacrae sunt, nonnisi ab ecclesiastica auctoritate statui possunt, quae Pontificis est pro Ecclesia universa, episcopi pro unaquaque dioecesi. Profanae nonnisi a suprema auctoritate civili pro suo territorio determinantur.

580. Feriae ita servandae sunt ut actus contentiosae iurisdictionis, qui in iis locum habeant, *irriti* omnino evadant, etiamsi partes consentiant. Hoc autem non solum pertinet ad sacras, verum etiam ad profanas auctoritate publica constitutas. Si vero agatur de feriis quae privatorum utilitatem respiciunt, ex partium consensu praetermitti possunt: insuper quaedam sunt causae, in quibus licet regulariter feriae sint servandae, exceptio admitti potest; ut si iudicium sit summarium, vel periculum sit in mora, vel pietas exercenda erga miserabiles personas suadeat ut citius res ad exitum deducatur. Dixi tamen in feriis interdici actus contentiosae iurisdictionis; nam ea quae ad iurisdictionem voluntariam pertinent, etiam in feriis, utpote non prohibita, fieri possunt.

581. Sicuti in dilationibus et feriis continentur ea quae ratione temporis ab iudice sunt servanda in iudicio administrando, ita alia ab eo custodienda sunt in ipso processu ut omnia rite exsequi possit. Huc spectat titulus *de ordine cognitionum* qui est decimus libri II. Decretalium. Ex iis quae superius innuimus *de mutuis petitionibus,* seu *reconventionibus,* tum etiam ex aliis caussis, plures quandoque concurrunt controversiae in eodem iudicio propositae. Tum etiam quaestiones occurrunt aliae *principales,* aliae simpliciter *incidentes.* Hae vero maxime exceptionibus conti-

nentur, de quibus titulo insequenti. Ex his quaedam eiusmodi sunt, ut iis prius non solutis, principalis caussa solvi nequeat. Hae *praeiudiciales* dicuntur: quaedam vero viam sternunt ad principalis caussae solutionem, et *praeparatoriae* appellantur.

582. In tanta rerum congerie aliquis ordo profecto servari debet: hinc *ordo cognitionum*. Quaedam vero habentur regulae quibus determinatur ordo quo causae propositae tractari debeant. Sed cum pleraeque ad caussas peculiares referantur ex. gr. matrimoniales, spolii etc., de quibus sermo est in altera parte huius libri, hic generalibus dumtaxat formulis nobis utendum est. Igitur

a) Regula generalis in primis est, causas eo ordine quo propositae sunt, cognoscendas et terminandas esse, nisi peculiaris aliqua habeatur ratio in iure determinata, vel partium consensu admissa, ut una causa alteri praeferatur.

b) Hinc praeiudiciales quaestiones, siquidem admittantur, prius tractari debent; cum ex dictis ex earum solutione dependeat, ut aliae solvi possint.

c) Quaestiones incidentes vero a iudice causae principalis cognosci debent, ut ibi finiatur iudicium, ubi coeptum est; nisi agatur de causa ecclesiastica, quae incidat iudicio laicali. Haec enim ab iudice saeculari dirimi nequit, cum sit alterius naturae, et is ad eam nullam habeat iurisdictionem.

d) Denique causae incidentes praeparatoriae, cum viam sternant controversiae dirimendae faciliorem, regulariter praemitti debent.

Cf. tit. cit. *De ordine cognitionum*.

583. Praeter leges *temporis* et *ordinis*, servanda etiam est iudici norma veluti *quantitatis*, n e scilicet, praeter ea quae iure permittuntur, plus ab actore petatur contra reum. Huc revocantur quae plus *petitiones* appellantur de quibus inscribitur tit. 11. lib. II. Decretalium coll. eod. tit. in Codice Iustin. (III. 10).

584. Actor potest *plus petere* quatuor his modis: I. *Re*, si maiorem petat summam, ea quae ipsi debetur; II. *Causa*, cum aliquid petit determinate in individuo, quod ei solum

in sepcie, vel etiam *aequipollenter* reddendum est; ut ex. gr. determinatum equum, dum ei dumtaxat aliquis equus, vel etiam eiusdem valor numerata pecunia *disiunctive* debetur. III. *Loco*, si nempe alio petat loco, ac cum reo conventum est. IV. *Tempore*, si ante diem statum, vel siquidem conditionate contractum fuerit, ante eiusdem conditionis adimplementum.

585. Si plus petitio dolose ab actore admittatur, hic in expensas et damna reo inde secuta, recentiori iure damnatur. Si vero plus petat tempore, duplicatas inducias in poenam sustinere debet.

586. Notandum tamen est requiri, ut plus petitiones *dolo malo*, hoc est scienter fiant, vel etiam, ut iis agnitis tamquam dolosis, non retractentur ab actore; si enim id fiat, vel reus exceptionem plus petitionis non opponat, actor plus petens a poenis liber evadit.

TITULUS VII.

De probationibus.

587. Quae hactenus proposuimus ad iudicem spectant ut in litis continuatione munere suo fungatur; iam deveniendum est ad ea quae iure statuuntur circa modum quo actor intentionem suam probare, reus vero eamdem repellere debet. Ad id autem plura adhibentur media, de quibus singillatim agitur in titulis respondentibus libri II. Decretalium. Porro ita ordini insistimus decretalium in hac tractatione, ut qua serie proponuntur ea quae ad probationes pertinent, eadem et nos proponamus. Ut autem intelligatur, quonam idearum nexu haec dicendorum series innitatur, haec statui possunt.

a) Cum actoris sit intentionem suam in iudicio contra reum conventum probare, fieri potest vel I. ut ipse reus *confessione sua* actorem eximat ab onere probandi, vel II. ut reus negando intentionem actoris hunc adigat probationibus eam affirmare. Hinc agendum est primo, de confessione; secundo, de probationibus.